

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 1829

**Auteur(s) :** Robert II des Ablèges, Bayeux (évêque)

**Bénéficiaire(s) :** Caen, Saint-Sépulcre (collégiale)

**Genre d'acte :** vidimus

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1219

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Guillaume Acarin, doyen de l'église du Saint-Sépulcre de Caen, vidime la charte de l'évêque Robert de Bayeux approuvant les règles concernant les prébendes de ladite église et la nomination de Guillaume Acarin comme doyen.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Bajocensis, n° XL, col. 98-99.

Texte établi d'après a

Omnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Willelmus Acarin decanus sancti Sepulcri de Cadomo, salutem in Domino. Noveritis venerabilem patrem nostrum Robertum Bajocensem episcopum chartam suam concessisse ecclesiae sancti Sepulcri de Cadomo et ejusdem ecclesiae canonicis, in hæc verba : Robertus, Dei gratia Bajocensis ecclesiae minister humilis, salutem in Domino. Universitati vestrae notum fieri volumus, quod cum quidam clerici ad honorem Dei et ecclesiastici cultus ampliacionem possessiones et bona pio et gratuito affectu obtulerunt ecclesiae sancti Sepulcri de Cadomo, nos eorum attendentes devotionem liberaliter concedimus ut easdem possessiones et bona sibi, quandiu vixerint, tenere liceat nomine præbendarum ecclesiae supradictae. Sustinemus ergo, ut facilitatem habeant, cum eos cedere vel decedere contigerit, personis aliis quibus voluerint easdem conferre præbendas. Ergo personae eadem gaudeant libertate, ut post cessionem vel decessum eorum sibi substituere valeant alios in præbendis, hac indulgentia tertiam non excedente personam, ita quod prima persona quæ præbendam obtinuerit, in tertium numerum concludatur. Si vero eorum aliquem interim contigerit decedere nulla facta ab eo donatione de præbenda, ad legitimum et propinquorem heredem illius qui præbendam instituerit, potestas redeat conferendi. Similiter si aliquis laicus ibidem de bonis suis simpliciter et ex devotione præbendam instituerit, præscripta gaudeat libertate conferendi. Postmodum vero collatio omnium præbendarum et personatum quæ ibidem fuerint institutæ, ad nos episcopum et ad decanum ejusdem ecclesiae nulla obstante præscriptione temporis devolvetur, ita quod nos episcopus et successores nostri unam et ipse decanus aliam vicissim, cum eas vacare contigerit, conferemus ; eodem modo in personatibus penitus observato et in futurum observando si in eadem ecclesia personatus aliquis creari contigerit, qui superius in præbendis est expressus quantum ad numerum et electionem successorum. Solius ergo decanatus donatione per trinam donationem præscriptam penes nos remanente. volumus et concedimus ut dicta ecclesia sancti Sepulcri, quæ ad nostram pertinebat donationem, et quam Willelmo Acarin clerico contulimus et quem decanum constituimus, post decessum ejusdem Willelmi in communes usus decani et canonicorum in perpetuum convertatur. Postquam vero ad nos et ad decanum ejusdem loci donatio devenerit præbendarum et personatum, quicumque præbendam habuerit, ad residentiam teneatur, alioquin fructus præbendæ absentis in communes usus decani et canonicorum deducantur, salvo jure episcopi et

decani. Sed sciendum quod decani ad nos episcopum solummodo et successores nostros, canonicorum vero loci ad suum decanum, si per eundem decanum emendari potuerint, excessuum correptio pertinebit ; quod si gravibus excessibus deliquerint, ad solum episcopum correptio pertinebit. Neque sæpe dicti decanus et canonici sancti Sepulcri aliquod privilegium seu indulgentiam erga ecclesiam Bajocensem in posterum poterunt impetrare : et si impetraverint, nullam obtinebit firmitatem. Hoc autem concedimus salvo omni jure et libertate ecclesiarum nostrarum, et capituli et præbendarum Bajocensium, contra quod si fieri contigerit, ad nos solum episcopum correptio pertinebit. Nos erga ea quæ in charta prædicta continentur rata et grata habentes, fideliter promittimus nos eadem in perpetuum servaturos, nec aliquo tempore aliquid contra prædicta facturos. Ad cujus rei testimonium et securitatem plenioræ præsentis scripto sigilli nostri munimen duximus apponendum. Actum anno gratiæ 1219.